

16527.

DISSERTATIO INAUGURALIS
MEDICA,

PHARMACA QUAEDAM
INDIGENA, PHARMACO-
POEAE ROSSICAE
ADDENDA

PROPONENS,

QUAM

CONSENTIENTE AMPLISSIMO
MEDICORUM ORDINE

IN

UNIVERSITATE LITERARUM CAESAREA
DORPATENSI,

PRO

GRADU DOCTORIS MEDICINAE

RITE OBTINENDO,

PUBLICE DEFENDET

AUTOR,

CAROL. ULRIC. FRIDER. VOLLEBERG,

CURONUS.



DOIRPATI,
LITERIS MICHAELIS GERHARDI GRENZII,
TYPOGRAPHI ACADEMICI.

PATRI. OPTIMO.

CAROLO. THEOPHILO.
VOLLBERG.

Inprimatur,

ea conditione, ut simulac typis excusa fuerit, antequam
distribuatur, septem exemplaria ei Collegio, cui cen-
sura librorum mandata est, mittantur.

D. MARTINUS ERNESTUS STYX,
Censor.

D. IX. Decbr. MDCCCXVI.

MEDICO. PRACTICO. WINDAVIENSI.
MERITISSIMO.

HASCE. STUDIORUM. PRIMITIAS.

SACRAS. ESSE. CUPIT.

FILIUS.

D17641

P r o o e m i u m.

*Dissertatio Cel. Sahlbergii Aboae A. MDCCCX
edita, sistens: Pharmaca quaedam Pharmacopoeiae Suecciae addenda, ansam mihi praebuit, si-
milem speciminis inauguralis materiam elaborandi.
In tanto enim medicinae ambitu, vix ac ne vix
quidem juvenis medicus novi quid proferre value-
rit; nisi hypothesium, quibus ars nostra jam sa-
tis premitur, inventor esse cupiat. Compilatio
itaque mihi magis arrisit, aliis inventa et nova
relicturus. Pharmaca vero nonnulla tantum in-
digena enumeravi; partim jam dudum cognita,
sed immerito oblizioni tradita; partim recentissi-
mis temporibus inventa, quae in morbis frequen-
tissime popularibus, summae utilitatis laudem
sibi vindicarunt, et medicorum fide dignissimo-
rum observatis explorata sunt, quibus exoticis
saepe magno pretio venalibus, et inquinatis nec*

genuinis, carere possumus *). *Plures aegrotos iisdem remedii egomet ipse sanatos vidi, exoticas nonnunquam incassum adhibitis. Quare ea, quae modo hinc, modo illinc in auctoribus dissipata callegi et in unum veluti inducere et breviter percensere, pro virium mearum tenuitate, in animo constitui; non immemor, mihi, cum propria experientia desit, nullam commentationem prolixiorem competere, nec ultra quam par sit, esse disserendum. Elaborationem ita institui, ut primo simplicia, dein Praeparata et Composita, ordine alphabeticō, enumerem.*

Quae qualesunque sint labores, ut peritis rerum arbitris non prorsus displiceant, unice in votis habeo, mihique pro animi sinceritate, qui non sibi tantum, sed patriae quoque vivere nittitur, album adjicere calculum velint.

*) Unum tantum hujus asserti documentum adferre licet. Centum librae corticis Chiae venalis ad nos adlatae vix quinque vel decem genuinas, ut experientia haud aequivoca docet, praebent. Vid. Pharcastr. Ruth, Auct. Wylie 1808. p. 41.

Pharmaca simplicia.

Cortex Pruni Padi, rossice Черевмуха.

Arbor per Rossiam septentrionalem vulgatisimā ¹⁾. *Odor recentis corticis ex ramis separati fragrans, in amygdalas amaras incidens; sapor amarus, adstringens, amygdalas amaras aemulans.*

Partes constitutivae: acidum Borussicum; principium resinosum, extractivum amarum, et coriarium ²⁾.

Vis narcotica, tonica, adstringens, dia-phoretica, et diuretica. Proxime in nervos abdominales et sistema irritabile agit. Dosis larga capitis dolorem, animi deliquia, vomitus et diarrhoeam ciet, praebium nimis auctum apoplexiā et mortem subitam infert. Insignes corticis virtutes medicae in partium nar-

1) Fischer Naturgeschichte von Livland. 2te Auflage. Königsberg 1791. pag. 510. No. 309.

2) Heckers practische Arzneymittellehre, herausgegeben von einem praktischen Arzte. Erfurt 1814, 1 Th. pag. 55.

coticarum, cum extractivis et coriariis principiis connubio resident.

Olim adversus febres intermittentes, luem venereum atque organorum concoctionis hebetudinem commendabatur³⁾ in primis in Lotharingia et Suecia forma pulveris vel decocti saturati. Fennis contra luem venereum jam dum decoctum saturatum in usu fuit⁴⁾, abbreviat in connubio mercurii tempus curationis. Nuperrime Cel. Brehmer⁵⁾ aliique medici, in primis Berolinenses et Viennenses, in arthritide, rheumatismo chronicō, partibusque inde paralyticis consequi solitis, maximo cum fructu adhibuerunt. Intra quatuor hebdomadas affectiones paralyticas sanat. Phthyseos quoque symptomata mitigat⁶⁾. Aquam corticis destillatam ad drachmam unam pro dosi III. Sprengel⁷⁾, ad sistendos spasmos et dolores, e vis sensiferae irregulari distributione ortos, suadet,

3) Hecker l. c. Murray Apparatus Medicam. Vol. VI post mortem auctoris edid. Althoff. Goetting. 1792. p. 124 - 126.

4) Murray l. c. p. 126 ex Gaddio Linn. Fl. Suec. p. 166.

5) Bemerkungen und Erfahrungen über die Natur des Traubenkirschenbaums von Dr. Brehmer. Berlin 1812.

6) Hecker l. c.

7) Institutiones Pharmacologiae. Lipsiae, 1816. p. 369.

cum pari modo ut aqua laurocerasi agat, aequabilitate virium autem praferenda sit. Cortex enim ubique locorum reperitur, folia vero laurocerasi siccata multo debiliores recentibus inveniuntur, ideoque justa dosis aquae laurocerasi difficile determinari potest. Memini me in casu singulari, guttas sexaginta absque ullo effectu exhibitum videre. Cel. Brehmer aquam corticis in cardialgia quoque utilissimam affirmat. Forma pulveris minor apta est, quam infusi, cum narcotica, pro morborum constitutione in primis chronicorum, saepe dosis sensim augatur, necesse sit. Ne vero ullis partibus constitutivis careat infusum, memorati auctores infuso. decoctum sequenti modo praescribendum censent.

R. Cort. Pruni Padi Unciam unam
Spirit. vini rectificati Uncias duas
Aqua communis Uncias quinque
Digere leniter in vase clauso per horas
duas, post refrigerationem expri-
me. Corticis remanentiam coque in
Aqua simplicis Unciis octo ad re-
manent. Unciarum quatuor. De-
coctum colatum cum infuso M. S.
Omni bihorio cochlear vel uncia
dimidia.

De coctum corticis saturatum pallide luteum est; hieme collectus cortex decoctum praebere rubrum Murray ad fert⁸⁾. Libra una decocti quotidie, haustibus quatuor diversis bibitur. Nonnunquam et modicum praebium initio vel primis diebus fastidium parit, donec ventriculus stimulo assuescat.

G r a p h i t e s .

Odor nullus, sapor metallicus. Semimetalum ex ferro et carbone constans, hoc vero ferrum novies superante⁹⁾, sed in minori gradu oxydationis adesse videtur¹⁰⁾. Circa Nislott ad Ladogam, montes Olonezkienses, Gornaitschied ad flumen Ural, ad Uj juxta Tobol, ad Tschumysch circa montes Ob et Kusnezkienses indigenum¹¹⁾.

Vis subadstringens, diuretica. Vires salutares in systemate irritabili in primis lymphatico, exerit.

Contra herpetes remedium valde efficax est, quod multis observatis et Dorpati institutis con-

8) I. c. p. 125 ex Bergii Mat. med. pag. 402.

9) Sprengel I. c. pag. 458. §. 301.

10) Hecker I. c. P. II. pag. 398.

11) Georgi's Beschreibung des russischen Reichs. 3 Th.
2 B. S. 344. Dasselben Nachträge S. 218.

stat, tum interne, tum externe adhibitum a Cel. Weinholdio primo commendatum¹²⁾. Externe auctor et inventor unguentum confici jussit ex drachmis sex Graphitis cum drachmis decem axungii porci, quo bis de die locus affectus inungitur, interne unciam unam Graphitis Electuarii s. Boli s. Pilularum forma inter unius hebdomadis spatium sumendam prescripsit. Scrupuli duo mane et vespere et longius propinantur, majus praebium in primis requiritur, nisi anglicano Graphite utaris. Organum concoctionis minime gravat, urinam pellet et sedimentum observatur. Hoc sedimen, tum tam diu durat, quam herpetes alterantur, id quod medelae initium indicat. Cum mercurio, lue venerea, aut cum aconito et resina guajaci, coexistente arthritide; aut cum Baryto muratico in morbis scrophulosis expeditissimum remedium fuit. Alii medici in scrophulis sequens Electuarium nonnunquam salubre inveniunt¹³⁾.

12) Der Graphit, ein neu entdecktes Heilmittel gegen Flechten von Weinhold. Salzb. medic. Zeitg. 1809, No. 9.

13) Hecker I. c. II. Th. pag. 399.

R. Hydrarg. oxydulat. nigri scrupulum
unum
Graphitis
Sulphuris depurati
Stibii sulphurat. nigri aa semunciam
Extracti Dulcamarae
— Pulsatillae nigricantis
Pulv. Violae tricoloris aa drachmas
duas
Camphorae drachmam unam
Syrupi Fumariae q. s. ut f. Electuar.

S. Intra dies octo ad decem assumendum.

Cel. Huber Aethiopa graphiticum ex hy-
drargyro regulino et dupla quantitate Graphitis
confectum commendat ^{14).}

Herba Hederae terrestris.

Glecoma hederacea Linn. Кротовникъ.

Odor aromaticus, suavis; sapor succulen-
tus, acriusculus, salivam excitans, subamarus,
aromaticus. Planta perennis, in Rossia sep-
tentriionali ubique frequens ^{15).}

Partes constitutivae, secundum analysin

14) Galb. med. Zeit. 1811. 3. pag. 282.

15) Fischer I. c. pag. 535. No. 375.

Cel. Benderi ¹⁶⁾ gummoso-resinosae, balsami-
cae, saponaceae, subadstringentes et non nulae
maritiales et nitrosae sunt. Accuratio ana-
lysis desideratur.

Vis roborans, incidens, diapnoica, pectoralis, diuretica. In viscera abdominalia, glandulas meseraicas, sistema arteriosum ideoque
in fines arteriarum cutis, pulmonum et organorum urinariorum agit, eorumque excretio-
nes promovet, in primis vero sistema lymphaticum incitat, lymphamque spissam partibus
constitutivis acriusculis, saponaceis solvit, ni-
nrosis vero vim plasticam materiae fibrosae mi-
nuit, quae semper aucta cordis actione justo
major evadit. Dosis nimis larga organa urina-
ria labefactat atque dolores infert.

Jahn in catarrho pulmonum cujuscunque
stadii et ipsa Phthisi confirmata, in primis dia-
thesi arthritica et scrophulosa coëxistente saepe
cum fructu dedit ^{17),} maximeque succum recen-
tem laudat. Herbam sicciam, vel infuso theaeformi

16) *Glecoma hederacea* Linn. egregium in atrophia in-
fantum medicamentum Diss. Inaug. med. auct. Chris.
Bern. Bender. Erlang. MDCCCLXXXVII. p. XXVI.
§. XX.

17) Auswahl der wirksamsten Arzneymittel. 1 Bd. neue
Auff. Erfurt 1807. S. 469—470.

vel pulveratum, sumendam commendat. Egregiam quoque opem fert in Phthisi purulenta, empyemate, vomica pulmonum, quod Ettmüller, Sauvages et medici quidam Suecici experti sunt. Murray mentionem facit cognati cuiusdam, qui pus sincerum expueret et potissimum succo Hederae cum saccharo lactis vel lacte mixto, juncta equitatione, sanaretur. Pluribus phthisicis haud sine fructu propinavit¹⁸⁾, aliis tamen medicamentis in subsidium vocatis. Morton in phthisi ex haemoptysi, syrum Hederae copiose ingestum eximiis viribus gaudere asserit. Willis in tussi gravi, rebelli, pulveria drachmam dimidiā, ad integrum, bis de die sumendam maximis extollit laudibus¹⁹⁾. Haud ita pridem, me quoque teste, in annoso fere tussi pertinaci cum haemoptysi praestans remedium fuit. Ill. Wendt conservam herbae cum fungo Salicis optimo cum effectu saepius praescripsit²⁰⁾. Delius praeclaram ejus virtutem in mictu cruento expertus est²¹⁾.

Veteres medici in calculo renum quoque

18) Apparatus medicaminum. Vol. II, edit. alter. auct., curante Althoff Goetting. 1794, pag. 210—211.

19) Murray l. c.

20) Bender l. c. p. XXXI.

21) Bender l. c.

plantæ usum extenderunt, nulla vero, quae sufficiat, experientia stabilita; experientia saltim dubia nititur, cum veteres omnia fere medicamina diuretica in lithiasi praedicarunt. Recentiori tempore Cel. Bender succum herbae expressum ad atrophiam infantum sanandam utilissimum deprehendit. Salutares primo effectus in principatum Baruthinum iter faciens monterisque piniferum cum adiret, videbat, ubi tanquam remedio populari, optimo cum eventu utuntur, postea plures infantes succo herbae recentis usū ab atrophia penitus liberavit et integrum sanitatem restituit²²⁾. Herpetem in dextro pede plures jam annos durantem, manus fere magnitudinis, multis externis et internis temediis incassum adhibitis, solius herbae succo recenti expresso, siue ullo additamento, se sanatum esse testatur.

Lichen parietinus.

Planta in muris, lateribus bene coctis, saxis, tectis et tegulis aedium tum ligneis, tum lapideis, multisque arboribus ubique crescens. Odor specifice mucidus, non prorsus ingratus, in corticem chinae rubrum officinalem incidens.

22) l. c. pag. XXVIII.

Sapor amaricāns, subadstringens. Vis roborans reproductionis sphäram, et sistema irritabile stimulans.

Partes constitutivae secundum analysis Cel. Sanderi, qui hujus Lichenis vires exploravit, sunt, quae sequuntur ²³⁾.

Aqua - - - - - 0,040

Principium resinosum coloris fusci et saporis amari balsamici 0,130

Principium glutinosum, qui ut resinosum cum materia colorante combinatum - - - 0,144

Principium saponaceum valde amarum - - - - - 0,020

Acidum gallicum - - - - - 0,040

Kali muriaticum - - - - - 0,029

Nonnulla vestigia tartari calcisque sulphurati. Materia fibrosa 0,630.

S. 1,033.

23) Die Wandflechte, ein Arzneimittel, welches die Peruvianische Rinde nicht nur entbehrlich macht, sondern sie auch an gleichartigen Heilkräften übertrifft. Als solches entdeckt, erprobt, untersucht, beschrieben und im R. K. Directorium der medicinischen Facultät zu Wien, im Jahr 1809, zur Conurrenz überreicht von G. C. H. Sander ic. Im Jahre 1813 von Sr. K. K. Majestät von Österreich mit dem Preise von hundert Ducaten belohnt. Sondershausen 1815.

Auctor et inventor, cuius commentatio prae-mio publico ornata est, Lichenem cortici Peruviano aequivalentem imo illo praestantiorē censem. Plus CLXX observatis edoctus est, in quibus Lichen parietinus aequē efficacem, partim ipsoque cortice Peruviano efficaciorem se manifestavit; nec unquam cortex Peruvianus quid praestitit, ubi Lichen parietinus, ob morbi complicationem spem, fefellisset.

Morbi quos sanavit, hi fere sunt:

Febres intermitentes, typhoideae, hydrops anasarca, chlorosis, haemorrhagiae passivae, phthisis pituitosa, blennorrhoeae, pollutiones diurnae, scrophulae, tussis convulsiva stadio decrescentiae et ulcera maligna. In gangraena sola defuit ei medicamenti virium indagendarum occasio, sed Ill. Sprengel adfirmat, ad currandam gangraenam satis efficacem sese vidisse ²⁴⁾. Ill. Zadig atque non nulli medici conterranii Sanderi, exploratae virtutis experti sunt iidem ²⁵⁾.

Ill. Sprengel praeterea confirmat, se quoque teste lichenis usu febres intermitentes fugatas esse ²⁶⁾. Pro circumstantiarum varietate

24) Sprengel l. c. pag. 321.

25) Sander l. c. pag. 105 - 135.

26) Sprengel l. c. pag. 321,

forma pulveris vel electuarii, aut decocti, eadem dosi, ut cortex peruvianus, iisdemque con-nubiis praescribitur. In fibrarum nimia laxitate Cel. Sander grana duo ad quatuor pulveris Gallarum turticarum addidit. Formam tinctu-ræ, simili modo paratam, sicut tinctura Chi-nae Pharmacopœae Borussicae, eximiis viribus præ ceteris præparatis celebrat. Collectionem lichenis tempore in primis autumnali, statim post pluviam instituendam commendat. Maxima cura et diligentia in depurando lichene est po-nenda ²⁷⁾. Signum certissimum Lichenis rite depurati habebis in subviridi pulveris colore. Denique cavendum est, ne lichen parietinus cum lichene candelari ²⁸⁾, Parmelia muro-rum ²⁹⁾, et Lecidea geographica ³⁰⁾ commute-tur, quibus pariter color flavus, desunt autem vires medicae. Restat, ut tentamina breviter referam Dorpati cum Lichene parietino insti-tuta. Cel. Haberland, haud ita pridem Alumnus Universitatis Dorpatensis, nunc quintae venato-

27) I. c. pag. 74 et pag. 139. Novam et faciliorem et me-liorem depurandi methodum Cel. Sander nuper prime communicavit. Vid. Salzb. med. chirurg. Btg. 1816. Nro. 94. pag. 254.

28) Parmelia candelaria ic. flor. dan. t. 399. f. 2.

29) Ic. Hoffm. pl. lichen. t. 17. f. 3.

30) Ic. Hoffm. pl. lichen. t. 53. f. 2.

rum cohortis militaris medicus, consultu com-munis nostri præceptoris et fautoris pie colen-di Perill. Styxii, me teste, usu Lichenis parie-tini, multos aegros curavit, in quibus notare liceat insigniores:

1) Wassili Wassiliew, miles quadraginta an-norum, die xxx Septembris febre typhoidea de-cumbens, post quartum incipientis morbi diem in nosocomium delatus est. Initio nervina por-ridgebantur, quibus vero adhibitis nulla mutatio-facta est. Sensorium commune, in decursu mor-bi, affectum, cum nervorum torpore se manife-stabat. Itaque suris et nuchæ rubefacientia me-dicus imponi jussit, quibus nervosae quidem affectiones remittebant, sed exanthemata pete-chialia prorumpabant, et loca, quibus rubefacien-tia applicata fuerunt, in gangraenam trans-ibant. Externe ergo antiseptica, interne Liche-nem parietinum præscripsit medicus, et sequen-ti quidem connubio.

R. Decoct. concentr. Lichen. pariet. 3vij
Sub finem coct. in vas. bene clauso in-funde

Radicis angelicae 3β

Flor. arnicae 3ij

Diger. leni calore per horam dimidiam
et colat. expressæ et refrigeratae

adde

Camph. mucilag. gmi arab. subact. 3ij
 Aether. sulphur.
 Tinct. Lich. pariet. aa 3ij. M. S.

Omni hora cochlear sumatur majus. —

Jam tertio die aeger melior se habebat, postea Lichen parietinus per se propinabatur, cum corrigentibus variis; stadio denique reconvallescentiae cum tinctura Martis, eoque modo aeger penitus convaluit.

2. Iwan Lasowsky, quadraginta annorum, diathesi scorbutica et ulceribus laborans, juxta orificium ani et dextram inguinalis regionem. Ulcus prope ani orificium trium pollicum longitudinis, et circiter $\frac{1}{2}$ pollicum latitudinis in gangraenam transibat. Medicus dabat Lichenem parietinum sequenti connubio.

R. Lichen. pariet. 3ij
 Camphorae gr. iij
 Piper. indic. gr. xxxvj

M. f. Pulv. divid. in sex partes aequal.

S. Omni bihorio pulvis unus detur.

Externe antisepтика applicabantur. Gangraenae Lichen potenter resistebat, quo facto aeger sanitatem amissam penitus recuperavit.

3. Osip Schurawiew, viginti trium annorum bubone aperto syphilitico et gangraenoso in nosocomium delatus, aliis medicamentis ante adhibitis, pulvere Lichenis parietini, trium mensium spatio sanatus est.

4. Iwan Beristwestnoi, triginta sex annorum, febre intermittente quotidiana correptus, coexistente diathesi cachectica, qua remediorum solitorum ope cessante, post octo dies de novo infebrem intermittentem tertianam incidit, quae pulvere Lichenis parietini ad drachmam unam omni bihorio dato, est profligata.

5. Jacob Peter, viginti octo annorum, eodem morbo affectus eodemque remedio sanitati restitutus.

6. Alexejew, triginta octo annorum, ulceribus scorbuticis pedis gangraenosis nosocomium ingressus, pulvere Lichenis parietini usu perfecte curatus discessit idem.

7. Peter, pustula livida gangraenosa laborabat, morbo in Estonia endemicō, qui semper post tertium diem in gangraenam abit interne decocto Lichenis parietini sanitatem recuperavit, ceteris simul externis remediis adhibitis.

8. Iwan Fedrow, ulceribus gangraenosis manus et pedis decubuit, et solius pulveris Lichenis parietini cum camphora, postea vero decocti ejusdem usu interno, cum debitissimis externis remediis applicatis, restitutus est.

9. Imatjew, angina vehementiore praevia, abscessu colli affectus, cui febris putrida adsciabatur, Lichene parietino cum Valeriana, camphora et acido sulphurico diluto restitutus est.

10. Iwan Iwanowitsch, qui febre initio gastrica, postea vero intermittentem transeunte laborabat, brevi tempore Lichene parietino sanatus est.

In stadio denique reconvalescentiae multorum aegrorum, optimo cum successu Lichen variis formis exhibitus.

Herba Lepidii ruderalis Linn.

Odor gravis herbae recentis, foetens, nasturcinus. Sapor pungens, acris, amaricans, ingratus. Planta fere ubique crescens.

Virtus incidentis, diapnoica, pectoralis, dilutrix. Qualitas a principio volatili, aethereo, acri, extractivo, resinoso, gummoso, sulphureoque plantae hujus derivanda, quae potissimum in nervos abdominales, reproductive sphaeram, sistema vasorum, partiumque irritabilium operatur. Initio ejus usus saepe fastidium excitat. Ex observatis medicorum antiquorum et recentissimis tentaminibus in dissertatione Glaseri *) commemoratorum patet, efficax esse remedium tum internum, tum externum, in scorbuto, catarrhis chronicis, rheumatismis, tussi quin ipsa convulsiva, hydropo anasarca, impetigine aliisque morbis cutaneis scrophulosis et scorbuticis, in primis ulceribus

*) De virtute et vi medica Lepidii ruderalis in morbis tum internis tum exterius adhibiti. Dorpati MDCCCXVI.

inveteratis extremitatum inferiorum. Non solum Cel. Glaser, sed etiam b. Kautzmann, Perill. Deutsch, Balk, Kurzwig aliique medici nostrates, in modo memoratis morbis, usi sunt successu prosperrimo. Interne Cel. Glaser unciam unam herbae cum aquae simplicis uncii sedecim, in vase bene tecto ad remanentiam unciarum octo incoctam, et per linteum colatam, cochlearium majus horis alternis unum propinavit; externe eodem decocto pro re nata ad lavandum, frigide, aut tepide, mane et vesperi in morbis cutaneis, aut in ulceribus compressis tepide madefactis omni bihorio applicato.

Efficacior sine dubio forma sequenti modo parata:

R. Hbae Lepidii ruderalis minutum conc. $\frac{3}{ij}$
Infundat. cum Alcohol vini $\frac{3}{ij}$
Aqua simplicis $\frac{3}{vj}$

Digerantur leni calore in vase clauso per horas duas saepius agitendo. Post refrigerationem coletur et residuum, antea fortiter expressum, coquatur cum aquae simplicis uncii decem, in vase tecto, ad remanentiam unciarum quatuor, dein residuum coletur et fortiter exprimatur et decoctum colatum cum infuso misceatur.

S. Omni bihorio cochlear majus. Hoc infuso-decoctum non aethereis solum partibus plantae praegnatum, sed etiam partes fixae omnes salutares continet.

Pulveris forma Lepidii ruderalis prorsus rejicienda, cum praeparatione hujus formae partes volatiles avolent, materiaque fibrosa aegre ventriculo conveniat.

In longum tempus, herba recens leniter siccata minutim concisa, asservetur in ampullis vitreis bene abturatis.

Herba Lysimachiae purpureae, ross. плаакунь.

Lythrum Salicaria Linn.

Odor nullus, sapor adstringens, mucilaginosus. Planta in Rossia septentrionali spontanea *).

Virtus roborans, alvum comprimens, in primas vias, reproductionis sphæram, sistema irritabile, pulmones et organa urinaria agens. Qualitas in principio adstringente et mucilaginoso residet. Decoctum herbae Hibernis contra diarrhoeam epidemicam, qua afficiuntur, jam dudum prosumit **). Stoerk expertus est, drachmam unam pulveris Lysimachiae bis auter per diem exhibitam egregie diarrhoeas sedare ***). Haenius idem affirmat:

*) Fischer l. c. pag. 505. No. 300.

**) Thretkeld Synops. Stirp. hibern. apud Dale Pharmacol. pag 246.

***) Annus medic. edit. altera. Vindobonae MDCCLX. pag. 108.

,,Est nobis, ait, in diarrhoeis et dysenteriis a laxitate oriundis excellens remedium *). „Dumenim, dato prius purgante, drachma una vel quatuor scrupuli pulveris hujus plantae, „mane ac sero dantur et morbus magis a laxitate intestinis, quam a sordibus, originem ducat, „praetereaque nunquam ex nimia collectione putrida, nec ulcere intestinorum, nec alicuius visceris tabetudine ortus sit, intra tres vel quatuor dies curantur perfecte, si recens est; paulo vero longiore tempore, si est diuturnior. Annosam diarrhoeam, ad quaevis auxilia rebellem, trium septimanarum spatio eodem remedio ita percuravi, ut nobilissimus centurion nunc exercitum S. C. M. repetierit **).

In diarrhoea quoque plantam Hastius laudat. Marcus Herz ***), diarrhoeam obstinatam, efficacissimis medicamentis, vel Cascarillae et Opio resistentem, solo Lysimachiae pulvere sanavit; Idem in diarrhoea colliquativa, aegrotato jam tabescente, et in diarrhoea habituali eodem eventu adhibuit. Per ill. Styx, fautor ac praceptor pie venerandus, huic virtuti subscribit. Infantibus decoctum, adultioribus pulvis herbae semper eximio cum fructu imperavit.

*) Ratio medend. Pars III. p. 196 et Pars IV. p. 250.

**) l. c. P. III. p. 195—197.

***) Briefe an Aerzte, 1 Sammlung 2te Ausfage. Berlin 1784. pag. 112—116.

In dysenteria epidemica in Suecia *) atque in ista funesta, Lugduni galliae, praestantissimum remedium fuit **). Sagar in dissertatione de Salicaria in enumeratis morbis, nec non in fluore albo et haemoptoe, herbam proficuam esse docet. Quarin multis aliis in dysenteria celebratis remediiis praeferendam esse putat. Omni bihorio vel trihorio scrupulum unum dabant. Nimir larga dosis alvi profluvium aliasque affectiones abdominales dysenteriae similes efficit, ideoque doses mediae, sed saepius repetitae, irritabilitate aucta, seu debilitate directa, majoribus dosibus praeferendae sunt. Radix plantae in Suecia ad sistendas diarrhoeas et dysenterias aequa ac herba efficacem se praebuit ***).

Plura medicamenta indigena simplicia his enumeratis adhuc addere possim, sed temporis angustia rebusque domesticis coactus, ad alteram dissertationis sectionem progredior.

Pharmacra praeparata et composita.

Aqua Pruni padi.

Ob virtutem et vim semper in ea aequales Ill. Sprengel ****) jure aquae lauro cerasi

*) Blom in Baerett om Medicinal-Werket 1765. p. 13.

**) Gardane Gazette de Santé 1773. pag. 65.

***) Blom l. c. pag. 239.

****) l. c. pag. 369.

„praeferendam esse censem, cum cortex Pruni padi ubique obvius sit, folia vero laurocerasi siccata adhibeantur, multo debiliora recentibus. Hecker *) idem suadet.

Extractum Lepidii ruderale aquoso-spirituosum.

Paratur secundum Glaseri **) experimenta eo modo

R. Herbae Lepidii ruderale minutum conservae partem unam

Aquae communis partes octo

Spiritus vini rectificati partes quatuor

, Digerantur calide in vase vitro clauso,

, per quadraginta octo horas. Liquor re-

, frigeratus, per linteam coletur, et ex

, liquore colato spiritus vini destillando

, eliciatur. Residuum aquosum in lebete

, stanneo, balneo aquae imposito, ad

, extracti spissitudinem evaporetur.“

Glandes Quercus tostae.

Schroeder in epistola ad Baldingerum primus glandes tostas commendat ***) in obstructionibus glandularum, easque hoc modo prae- parandas esse docet: Glandes excorticatae et

*) l. c. I. Thl. pag. 516.

**) l. c. pag. 52.

***) Von den Wirkungen der Eicheln, Verstopfungen der Drüsen im menschlichen Körper aufzulösen. Göttingen 1774.

in frustula concisae leniterque siccantur, torrentur ad modicum ignem, et in vase bene clauso ad usum vel contusione vel tritura molae coffeeanae versatilis in pulverem rediguntur. Auctor drachmas tres cum tertia vel quarta parte Coffeae tostae in Infuso, instar Infusi Coffeae, mane et vespere, et binos quidem, vel ternos cyathis assumere suadet, saccharo et lacte addito.

Vis adstringens, incidens, alvum comprens, diaphoretica, diuretica.

In obstructione viscerum abdominalium, atrophia infantum, scrophulis, ulceribus, furunculis, tumoribus glandularum, mammarum, parotidum, inguinalium, arthritide Schroeder *), Marx **), Kaiser, Schaeffer, Tilenius; in tabe, diarrhoea, in leucopblegmatia et lienis inductione Marcus Herz aliisque medici laudant ***). Marx cum aliis asthma spasmodicum, fluxum menstruum dolorosum, epilepsiam, hydropem, haemorrhagiam uteri sanare refert. Saepe glandes tostae dosi aucta exhibuerunt.

Dosis nimis larga, aut abusus earum, nau- seam, anxietates, organorum concoctionis debilitatem, et obstructiones viscerum abdominalium inducere solebat.

*) l. c. pag. 30 — 34.

**) Bestätigte Kräfte der Eicheln. Hannover 1776. Ejusd. Geschichte der Eicheln. Hannover 1778.

***) Murray apparat medicam, Vol. edit. alter. p. 99. 100. Marcus Herz Briefe an Aerzte. 1te Sammlung. 2te Auflage. Berlin 1784. pag. 190 — 197.

Hirudines artefactae.

Quamquam hirudines et vivae et artefactae minime medicamentis, sed remediis sint adnumerandae, tamen artefactas nuperrime celebatas, tanquam praeparatum remedium hic adferre liceat, ut quarum usu tantus sane sit, quibus nullo modo medicus carere queat, variisque regionibus hirudines vivae non ubique reperiantur, loco earum ergo applicandae.

Tinctura Coccinellae septem punctatae.

Jll. Sauter *) sic parare docet:

$\frac{1}{2}$. Coccionellae septem punctatae Numero sexaginta ad octoginta Contundantur in mortario lapideo et terantur cum Spirit. vini rectificat. Uncia una. Digerantur in vase bene clauso per octo dies in Sole. Filtr. per linteum et asservetur usui.

Aestate rubrum, hieme subrubro-flavum colorem tinctura induit.

Vis narcotica. In odontalgia rheumatica usum externum Hirsch et Sauter laudant; in hemicrania, dolore Fothergilliano, opio et aconito incassum adhibito, guttis quadraginta ad sexaginta exhibitis, Sauter utilissimum invenit.

*) Allgem. mediz. Annalen 1812. pag. 678. Heder's praktische Arzneymittelkunde. 1 Thl. pag. 554. Erfurt 1814.

Externum simul tincturae usum in cavo oris parti effectae suadet illinendam.

**Tinctura ferri muriatici
Pharmacopoeae Borussicae *).**

Roborans eximum et resolvens, in systema irritabile et lymphaticum agens. In atrophia infantum, rhachitide, chlorosi, scrophulis Neumann et Hufeland laudant **). Heineke medicus Bremensis, omnibus remediis in scrophulis celebratis incassum adhibitis, efficacem reperit ***). Medici nostrates in tumoribus glandularum summo cum fructu adhibuerunt. In urinae suppressione spasmodica, ****) in primis vero verminosis affectionibus *****) egregie j�are alii auctores referunt. Pharmacopoea Batava *****) tincturam aquosam continet, sed solutio spirituosa aegris multis gravior et solubrior et diutius asservari potest, attamen in infantum morbis mihi tinctura aquosa Pharmacopoeae Batavae magis arridet, cum praeparata spirituosa infantibus minus convenient.

*) Preußische Pharmacopœa, dritte verbesserte Ausgabe. Berlin 1813. pag. 200.

**) Dahlberg l. c. pag. II.

***) Altenburg mediz. Annal. 1811. April-Ex.

****) Gurdach's System der Arzneymittellehre. 3. Bd. 1809. pag. 336. — Hecker l. e. II. Thl. pag 570.

*****) Sprengel l. c. pag. 559.

*****) Editore Neumann. Vol. I. Lipsiae MDCCCXI. pag. 393.

Tinctura Lichenis parietini.

Eodem modo, sicut tinctura Chinal, Pharmacopœae Borussicae paratur *). Praeparatum valde efficax in morbis cachecticis, secundum Cel. Sanderi aliorumque medicorum observata.

*) Sander l. c. pag. 76.

T H E S E S.

1.

Solutio placentae non semper naturae committenda.

2.

Et a medicamentorum forma pendet effectus.

3.

Nausea et vomitus non semper indicant vomitorium.

4.

Tunicam vaginalem funiculi spermatici adesse nego.

5.

Doctrina de diebus criticis medico pratico pernecessaria.

6.

Aquam corticis Pruni padi aquae Laurocerasi praefero.

7.

Efficacissima Lepidii ruderalis forma est infuso-decoctum.

8.

Lichen parietinus cortici Chinæ aequivalet viribus medicis.
